

sexte proxime ante festum beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum anno domini Millesimo trecentesimo nonagesimo primo emanatas, habentes in se tenorem litterarum eiusdem domine Marie regine adiudicatorum, eidem Capitulo directarum, presentarunt continentes: quod inter predialas et nobiles Jobagiones Castri de Reyche, litteris in eisdem nominatos, vt actores ab vna, & inter Stephanum filium Stephani filij Mychk Bani, parte ab alia, super occupacione eorundem predialium, et quorumlibet Iurium ipsorum, coram ipsa domina nostra regina lis mota, existisset; in qua quidem lite, ipso Stephano filio Stephani deficiente, eadem domina regina, vniuersa predia, et quaslibet porciones possessionarias dictorum predialium, ipsos ab antiquo contingentes, sub condicionibus et libertatibus eorum eis et eorum heredibus perpetuo possidendas, restatuere commisisset; Paulus itaque dictus contra de Nagech, homo reginalis, ad id specialiter transmissus, et magister Gregorius Canonicus ipsius Capituli, testimonium, ad facies vniuersorum prediorum et porcionum possessionariarum prescriptorum predialium et nobilium Jobagionum, videlicet Johannis filij Emerici de Zelna, alterius Johannis filij Fabiani de Rempoch, Georgij filij Fabiani de Saulfelde, Wrbani filij Fabiani de Wlkanolch, Andree filij Barnabe de Lukachouch, Petri filij Iwan de Welike Melike, Petri filij Blasij similiter de Weliky Melike, Michaelis filij Petri de Pribinouch, Dominici filij Jacobi de Rathkpetherfelde, Ladislai filij Dominici de Saulfelde, Gregorij filij Fabiani de alia Wlkanolch, Petri et Benedicti filiorum Dyonisij de Chernkoch, Dominici filij Laurencij de Keresthur, nec non Nicolai filij Ladislai de Kletynch, alio nomine Lehafelde, Mathei filij Martini de Lippa, Dyonisij filij Blasij similiter de Welike Melike, Mykech filij Stephani penes fluuium Marocha, Petri filij Vlchyak de Capite Velike filij predicti Georgij filij Iwan de Wechkolch, Ladislai filij Michaelis de Fodorostyna, Myke fluuij Punek de Myrostyna, Mathie filij Gregorij de Dernechynchyna, Benedicti filij Johannis de Hranizlauch, Benedicti filij Dragina de Drageverolch, Fabiani filij Georgij de Moysna, et Laurencij filij Petri de Radozlaustyna nominatorum, in tenutis et pertinencijs prelibati Castri Reyche habitum, vicinis et commetaneis eorundem vniuersis, inibi legitime conuocatis et presentibus, accedendo, memorata predia, seu possessionarias porciones, cum earundem vtilitatibus et pertinencijs vniuersis annotatos prediales ab antiquo contingentes, eisdem et ipsorum heredibus, sub condicionibus et libertatibus premissis prefato magistro Stephano filio Stephani filij Mychk, in hac parte silentium imponendo, restituissent et commisissent, nemine alio contradictore inibi penitus apparente, perpetuo possidenda et habenda; quibus quidem litteris per ipsos prediales productis, seriebusque earum perceptis et intellectis, eadem domina dictusque Georgius filius suus, se et alios filios dicti Martini Bani, preterea dicti prediales similiter se ad pacis reformationem in premissis faciendam, per nos transmitti postularunt. Quos, cum nos ad eandem pacem faciendam benivole admissemus, tandem sicuti prescribitur, prefati Georgius filius et nobilis Domina Anna relicta ipsius Martini Bani, pro se personaliter, pro Ders vero et Petro filijs eiusdem Martini Bani, iidem sine litteris procuratorijs, quorum onera et quelibet grauamina, si ipsi simul uel diuissim de subscriptis resilire et ea reiterare uellent et conarentur, super se cunctasque eorum hereditates et bona receperunt ab vna parte; siquidem, ex altera, prefati Elias, Benedictus, Briccius et Lachk prediales, pro se similiter personaliter, pro predictis vero alijs predialibus, cum prescriptis procuratorijs litteris, nostri comparentes in presencia, dixerunt et proposuerunt in hunc